



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.
Scriptvrae. De Ecclesia Catholica, Et Eivs Pastore
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

Torres, Francisco de

Coloniae Agrippinae, 1580

VD16 ZV 18729

Capvt XV. Quomodo Pontifex Petro succedat, & quomodo reliqui episcopi
Apostolis, & quae Gennadius scholarius scripserit in eos, qui successores
Apostolorum negabant, sicut Antonius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33634

Quomodo Pontifex Petro succedat, & quomodo reliqui episcopi Apostolis, & quæ Gennadius scholarius scripserit in eos, qui successores Apostolorum negabant, sicut Antonius. Et quomodo Pont. omnes gentes doceat, & de studio & solitudine eius in hac parte, & de potestate ligandi & soluendi data cæteris Apostolis à Christo per Petrum, quia primò & singulariter summa potestas data est Petro, & de tabulis diuini iuris, quas exhiberi postulat Antonius in successoribus Petri, & de auctoritate traditionis Apostolicæ sine scripto.

» **N** Am de posteriori agendum est, nempe de modo electionis; dico igitur *αὐτὸς* eligi, & vocari à Deo ad prædicandam Euangelium esse *ὁμοῖος* ministerio apostolatus. Hoc enim argumento firmissimo probat Paulus, se esse Apostolum cap. i. ad Galatas: Pontifex autem ab hominibus eligitur, (at quibus modis? qua via? quibus artibus?) neque quidem ad Euangelium omnibus gentibus prædicandum; non est igitur Apostolus, & proinde non est successor Petri in apostolatu. sic enim Christus, profecti docete omnes gentes: Romanus autem pontifex sedet in sublimi folio, nullamque docet gentem, ne dum omnes. Quibus igitur rationibus nobis persuadebis Turriane, aut, ut loqui soles, conuinces, illum esse Petri successorem? *si tu scripturas didicisses, non ignorares, sanctos Apostolos primitias spiritus accepisse, sicut Apostolus Paulus ait in Epist. ad Rom. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis nostri. Primitias spiritus vocat Apostolus secundum consuetudinem scripturæ, illa copiosiora & excellentiora charismata spiritualia sanctis Apostolis data. sic Christus dictus est primitiæ dormientium, quia primus perfectissime sua scilicet virtute resurrexit, non amplius mortuus: & aliàs primogenitus ex mortuis, quòd eum rāquam primitias sequi*

De primitiis spiritus, quas sancti Apostoli acceperunt.

Etos Apostolos primitias spiritus accepisse, sicut Apostolus Paulus ait in Epist. ad Rom. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis nostri. Primitias spiritus vocat Apostolus secundum consuetudinem scripturæ, illa copiosiora & excellentiora charismata spiritualia sanctis Apostolis data. sic Christus dictus est primitiæ dormientium, quia primus perfectissime sua scilicet virtute resurrexit, non amplius mortuus: & aliàs primogenitus ex mortuis, quòd eum rāquam primitias sequi

sequi debeat *τὸ φῶς* *ἢ ἡ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ*, id est, conspersio, siue massa. Quæ est Ecclesia primogenitorum, qui conscripti sunt in celo. Sic in lege ex fructibus arborum tribus primis annis non offerebantur primitiæ, quia arbores erant infirmæ, & fructus tenuis, quarto anno offerebantur primitiæ propter copiam, & maturitatem perfectam. Itaque ratio primitiarum consistebat in perfectione fructus; sic ratio primitiarum spiritus in Apostolis consistebat in excellentia & copia charismatum, quæ illis donata fuerunt, quia primi erant Euangelium omnibus gentibus annuntiaturi, & per verbum eorum primæ gentes ubique credituræ; illorum fuit proprium eligere *ἀποστόλους*, tametsi in Matthiæ Apostoli electione aliquid ministerij hominum, ut antea dixi, adhibitum est. Nos vero Antoni non dicimus, pontificem Romanum esse successorem Petri nec episcopos Apostolorum esse successores in illis primitiis spiritus, quas habuerunt; sed in potestate ligandi, & soluendi, quam dedit Christus beato Petro, succedit episcopus, qui in locum eius ordinatur: & in potestate ligandi, & soluendi, quam dedit cæteris Apostolis per Petrum, succedunt cæteri episcopi, qui per episcopum Petri successorem potestatem ligandi, & soluendi accipiunt. Non enim aliter fieri poterat ut sapius dictum est, ut vnum esset regnum Christi spirituale in terra, & vna Ecclesia Catholica tanquam vna domus Dei magna, nisi esset vnus princeps Ecclesie, & vnus pater familias, & vnus summus sacerdos, qui esset, ut beatus Cyprianus ait, exordium vnitatis, & sacerdotij. Quod cum negas, non solum cum scriptura, cum auctoritate apostolicæ traditionis, quæ in omnibus mundi Ecclesiis prædicatur, & cum omnium doctorum, & veterum patrum testimonijs, sed cum natura ipsa pugnas. Si tu non vis esse ex illis, qui dicunt tantum, & non probant, confuta nostram scripturam scripturæ; nostra testimonia testimonijs veterum; naturam naturæ; traditionem traditione. Tenta hoc genus disputandi, si causæ tuæ cõsidis. Hec omnia nos facimus contra vos disputantes, neque tamen persuademus, conuincimus tamen, licet neges: nisi enim pertinaciter negares, hereticus non esses. sic scripsit beatus Hier. magnus auctor, ut scis, & acerrimus, & grauissimus disputator aduersus Luciferianos

De ratione primitiarum in offerendis fructibus arborum in veteri lege, & de ratione primitiarum spiritus. Quomodo proprium fuit Apostolorum & quare, eligi sine medio à Christo.

In qua potestate succedat Petro, qui in locum eius ordinatur, & in qua, & quomodo succedant reliqui Episcopi reliquis Apostolis.

Qui negat successorem Petri in Ecclesia, cum quibus pugnet.

L. Luciferianos

ciferianos differens, convincere quidem haereticos possumus, suade re eis non possumus. Cum igitur a me percontaris inquires, quibus

Que Gennadius Schola- rius contra eos scripsit, qui negabant successores Apostolorum, ex quibus est Antonius Sacedcl.

igitur rationibus nobis persuadebis Turriane, aut, ut lo- qui soles, convinces, illum esse Petri successorem? respon- sum habeto, quibus te haecenus conuici, licet non persuaferim: aut si plura vis, addam etiam, quae Gennadius Scholaris patriarcha Constantinopolitanus, qui Synodo Florentinae ex Graecis, & Lati- nis coactae interfuit, in eos scripsit, qui, sicut tu, successorem Pe- tri, & successores aliorum Apostolorum tollebant. Postquam in o- ratione quinta de principatu pontificis, testimonium Damasceni, ut caetera omittam, ex sermone eius de transfiguratione recitauit,

in quo Petrum vocat προεδρον και πασης της εκκλησιας δεχομενοι τα πηδαλια, subiungit idē Gennadius, ος ας ως προεδρω τω πέτρω, και πα- σης της εκκλησιας έχοντι την αρχην, προϋχειρισατο τα πηδαλια; ουτως α- σπιδι κωφῆ, & βυβση τα ὄτα παρόμοιοι εἰσιν οἱ μη ακεφν & βλέπην εθι- λοντες. να φασιν, ἀλλὰ τῶ πέτρῳ μόνῳ εδοθη τῆτο, οὐ μὴν δὲ & τοῖς διαδό- χοις αὐτῆ. τῆτο δὲ ὡς μαρῶν ἀνδρῶπων ἀποδεγμα, & μηδαμῶς αἰθισιν ε- χόντων ὑπάρχον. εἰδῆ μὲν ἡμᾶς εἶσαι ἀναπολόγητον, οἱ κατὰ δίκαιον λόγον οὐ χηρῆζῆ τὸ παράπαν ἀπολογίας τινός, διὰ δὲ τῆς βελομένης γεννηῶς, ἐκείνης ἀμύνασαι, ἐλέγξω ἰδῆ αὐτὸ ὡς ἀπαυδουσίας ἀνάπλεων. εἰ τῶ πέτρῳ μόνῳ & τοῖς ἀποστόλοις εδοθη, οὐ μὴν & τοῖς διαδόχοις αὐτῶν, ὡς μαρίας φανερατῆ της, ὡς διανοίας διεσραμμένης, πῶς αἱ σύνοδοι ἐγένοντο σωματικῶσαι τὴν ἐκ- κλησιαν; πῶς κανόνες σινοδικοὶ γεγόνασιν, εἰ ἐξουσαίν οὐκ εἶχον; πῶς κα- σανήν & ὁ μέγας τῶ σιλβέρῳ τὴν ὑποταγὴν δέδωκε ὡς τῶ πέτρῳ, & οὐκ ἐλαττον; & paulo post. πῶς οὖν οὐκ ἀισχύνεσθε λέγειν τοιαῦτα; πῶς αἰρετικοὶ ἀπεσκορακίσθησαν παρὰ τῆ ἀκρου ἀρχιερέως & τῶν ἱερῶν σινοδῶν, εἰ μέ- χρι τῶν ἀποστόλων ἡ ἐκκλησία ἐδύνατο, μετὰ δὲ ταῦτα οὐ; πῶς δὲ οὐκ εἶ- παν τῆτο οἱ κατὰ χερσὺς ἐχθροὶ καὶ πολέμοι τῆς τῆ δεῖ ἐκκλησίας οἱ αἰ- ρητικοὶ δηλονότι. ἐκείνοι μὲν γὰρ ἐλαυνόμενοι & δικωόμενοι παρὰ τῆς οἰκ- κλησιας ἐκκλησίας, τομῆσαι εἰπέην τῆτο οὐκ εἶχον ὑμῆς δὲ νῦν λέγοντες τῆ- το, φάμεσθε ὑπεραπολογέμενοι ἰκείνω. δεῖ οὖν Ἰσρηιου μακεδόνιον, & Ευνόμιον, Νεσθόριον, Διόσκορον, σεβήριον, & τὴν λοιπὴν ἰκείνω τῆ αἰρετι- κῶν δυσσεβῆ χορείαν ἀνασθῆναι, & χάριτας ὁμολογήσαι & ἀποδεῖναι ὑμῶν, ὅτι ἀπερ ἐκείνοι. οὐδ' εἰς νῦν ἰπεμνήθησαν εἰπῆν, ἡμῶς ἰκείνω ὑπερα- σπιζόμενοι λέγετε, ἀλλ' ὅτι πολλὰ & ἀπειρα ἀπὸ τῆτῆ ἀναφανήθησαν ἀ- ποπα, & τυφλοὶς δῆλον. διὰ τῆτο ἀλλῆς μὲν περιτέτῳ. reddamus latine: Vides quē admodū Petro praesidi, & cunctae Ecclesiae principatū ha- bent

benti gubernacula commisit? sic sunt aspidi surdæ, & aures obturanti similes, qui audire, & videre nolunt. fatemur, inquiunt, verum Petro solum datum est hoc, non autem successoribus eius. Oportebat nos ad hoc dictum hominum fatuorum, & sensu carèrium nihil respondere, quoniam merito nulla penitus responsione indiget, sed propter eos qui istos volunt fortiter repellere, redarguamus eorum dictum tanquam insipientia plenum. si Petro tantum datum est, (scilicet ut præset toti Ecclesiæ, & eius principatum haberet, quod isti concedebant, & non successori eius, nec alij Apostoli successores reliquerunt) ô stultitiam omnibus manifestam, ô mentem peruersam, quomodo habitæ sunt Synodi ad fulciendam Ecclesiam? quomodo facti sunt Canones, si potestatem non habebat? Quomodo magnus Constantinus misit se sub potestatem Siluestri tanquã Petri? quomodo non pudet hæc dicere? Quomodo hæretici à pontifice, & à sanctis Synodis eiecti sunt, si Ecclesia, quandiu fuerunt Apostoli, potestatem habebat, postea verò non? quia scilicet non remanserunt successores? Quomodo hæretici, inimici & hostes Ecclesiæ non hoc suo tempore dixerunt? illi enim, cum alioqui ab vniuersa Ecclesia exagitantur, non tamen hoc dicere audebant, vos verò cum nunc hoc dicitis, illos defendere videmini. oportet igitur, ut Arius, Macedonius, Eunomius, Nestorius, Dioscorus, Seberus, & reliqui hæretici excitati à mortuis, vobis gratias agant, quòd quæ illis ne in mentem quidem venerunt, ut dicerent, vos facti illorù defensores dicitis. Sed quòd infinita alia absurda hinc sequantur, vel cæcis est manifestum. Idcirco de his satis. Hactenus Gennadius. Quod autem dicitis, ne quid præteream, Romanus pontifex sedet in sublimi folio, nullamq; docet gentem, cecidum omnes; hoc quoq; falsum est, ex contentione, & luore tuo, atq; odio pontificis scaturiens. An videtur tibi in sublimi folio requiescere, qui est de omnibus Ecclesijs sollicitus? aut non esse genus quoddam docendi omnes gentes, providere, ut omnes mundi Ecclesiæ catholicos episcopos habeant, qui sanam doctrinam de cathedra Petri, in qua sedet, proficiscentem populos eis commissos doceant? ut id ipsum dicant omnes Ecclesiæ, & non sint schismata?

Quomodo
pontifex
omnes mū-
di gentes
doccat.

an non pascebat Petrus, cum absens scribebat ad Episcopos Ponti, Galatia, Cappadociae, Asiae, & Bithyniae, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontaneè secundum Deum, neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè, nec vt dominantes in cleris, sed forma gregis facti? dices fortasse non hoc facere pontificem: si te rogem, quomodo scis? aut quis tibi hoc dixit? nullos testes nisi de domo tua produces. Ego verò, ne mihi idem obiectes, si aut ego testimonium dicam, aut alios testes citem, tabulas profero non diuini iuris, quæ hic locum non habent; registra dico, sic vulgo vocant volumina literarum, quas de causis Ecclesiasti-

Quæ sint testimonia, non cessare pontificem villo tempore, in prouidendo orbis sibi commissis. *Quæ sint testimonia, non cessare pontificem villo tempore, in prouidendo orbis sibi commissis.* cis, & spiritualibus ad Ecclesias, & earum episcopos, ad reges, ad principes, ad populos, & ciuitates, ad varias nationes, gentes, ac regna perpetuo scribunt. Neq; si velint pontifices, aliud facere possunt. Ipsa literæ testes tibi erunt, pontificem Romanum non requiescere in sublimi solio, neque cessare in docendo, & prouidendo orbis cuncti orbis sibi commissis ab eo, qui Petro dixit, pasce oues meas. Testis item est frequens & assiduus senatus, quem vo-

Quos sibi fecerit Pontifex oculos, aures, pedes, manus, unde sollicitudo maior ad pontificem redundat quia plura videt plura audit pluribus aures, plura loca perambulat pluribus pedibus.

cant consistorium Cardinalium, quos fecit sibi, oculos, aures, manus & pedes, vt tuus Arist. in 3. de rep. libro, de principibus & regibus dicit. Quomodo igitur potest cessare immo respirare, qui ad prouidendum tam multa tot oculis videt? tot auribus audit? tot manibus agit? tot pedibus perambulat? aut si nec his testibus credis, sit tibi testis locupletissimus breuitas ipsius vitæ, quam ferre degunt tot curis, & negotijs, ac sollicitudinibus vniuersa Ecclesie confecti. Si bini oculi & binæ aures multas occupationes, curas, negotia, sollicitudines vni patri familias in vna parua domo afferre solent, quid multi oculi, multæ aures, multæ manus, ac multi pedes vni pontifici in vniuersa Ecclesia, quæ est ingens quedam domus Dei, efficient? Dic Antoni, cum Apostolus reliquit Cretæ, quæ multas habet Ciuitates non paruas, Titum, vt constitueret presbyteros per ciuitates, & ea, quæ deessent, corrigeret, putas reliquisse illi locum, vt in solio sedens requiesceret? non credo, sic putabis. At si tu catholicus esses, quanto minus otij existimares relictum esse pontifici ad sedendum in sublimi solio, vt dicit,

eui de

cui dominus in Petro iussit pascere oves suas, id est, quæcumq; essent in uniuerso mundo oves Christi; id enim significat, ut antea probatum est, ius sermonis Græci in illo loco Ioannis: in pascendo autem omnes Christi oves commissas, in primis continebatur constituere episcopos per uniuersas mundi Ecclesias: & corrigere ea, quæ ubiq; deessent. Vt enim Paulus non omnia, quæ deerant Cretæ, correxit: sic neq; Petrus, neq; Paulus, neq; ceteri apostoli omnia, quæ tunc deerant, aut processu temporis deesse poterant, correxerunt. Per multa enim successoribus constituenda, corrigenda, & disponenda, ut necesse erat, reliquerunt. Vide enim quid tuus Arist. duce sola ratione naturali libro 2. de rep. scripserit, sunt autem, inquit, hoc quoq; tempore magistratus, qui de rebus quibusdã arbitrati suo iudicant; ut iudex de ijs, quæ lege definiri nequeunt: ut lex non optime imperare, ac iudicare posse videatur. nam quæ constituere lex potest, de his ambigit nemo. Sed quoniã res quasdam, leges cõplecti possunt, quasdam non possunt, hinc controuersia, & dubitatio nascitur, utrũ optimarum legũ, an optimi viri imperio ciuitatẽ administrari præstet. Nam de quibus rebus deliberatur, hæ sunt, de quibus leges ferri non possunt; non est igitur dubiũ, quin hominem esse necesse sit, qui de rebus huiusmodi iudiciũ ferat. Hactenus ille. Sed fortassis inquires, quomodo vnus ista, quæ dico, in omnibus mudi Ecclesijs providere possit? Audi Antoni, vnde non est facile venire ad pontificem ad accipiendas episcoporum ordinationes propter longinquitatem, habet illic pontifex, cui auctoritatem det confirmandi electiones, & ordinationes episcoporũ, ut apud Indos: sicut Leo magnus habebat Thessalonice, qui ordinationes episcoporũ totius Orientis confirmaret. Regula aut iuris Canonici est, qui facit per aliũ, est perinde, ac si faciat per se ipsum, immo etiã regula iuris ciuilis, quo me dicis delectari: sic enim ait Vlpianus, deiecit autem is videtur, qui madauit, vel iussit, ut aliquis deijceretur; parum enim referre visum est, suis manibus quis deijciat, an per aliũ. Quæ aut desunt in Ecclesijs, pleraq; corriguntur per Synodos prouinciales, quæ certis & statis temporibus habentur & auctoritate pontificis confirmantur, ita fit, ut omnia, quæ desunt in uniuersa Ecclesia,

Quod per multa sancti Apostoli reliquerunt successoribus constituenda & corrigenda in Ecclesia & ita necesse fuisse, ratio natura in sita docet, ut ex ijs, quæ Arist. in politicis scripsit, intelligi potest.

Quomodo vnus pontifex in omnibus mundi Ecclesijs providere potest, quæ ad ordinationes omnium episcoporum approbadas, & ad corrigenda, quæ in Ecclesijs desunt, pertinent.

Regula Iuris Canonici, & ciuilis.

Quomodo omnia, quae in Ecclesia defuncti, pontifex corrigat, sicut Paulus Titus praecepit ut in Ecclesia Cretensi centum urbium deessent, corrigeret. Quomodo ad pontificem Petri principis Apolloniorum successorem tanquam principem omnium patriarcharum pertineat confirmare omnium archiepiscoporum, & patriarcharum ordinationes, quas faciunt, & considerare quae per provincias agunt, & quae defunctis corrigere. Quid ab episcopo requirit Apollonius, cum ab eo requirit, ut sit doctor. Unde perspicui queat facile, quantum studio docendi pontifex Romanus hodie teneatur.

ordine, & conscio, atque auctore pontifice emendentur, & suppleantur. Si enim ad Titum pertinebat constituere Episcopos in centum urbibus magnis, quas Creta, ut antiqui auctores prodiderunt, habebat, idque quia erat archiepiscopus, qui episcopis provincialibus praesertim, qui sunt, sicut est in canone Niceno 39. sicut fratres minores, qui archiepiscopo tanquam fratri maiori obedire debent, & si ad patriarcham Alexandrinum pertinet, ut per provincias Aegypti & Pentapolis archiepiscopos, & episcopos constituat, sicut Antiochenus patriarcha per provincias sibi subiectas, & ad patriarcham pertinet, ut quae faciunt archiepiscopi, & episcopi ei subiecti, consideret, & quae videantur, corrigat, quia ipse tanquam pater eorum, & illi tanquam filij, ut est in eodem canone: consequens est, ut pertineat ad episcopum Romanum, qui est, ut est in eodem canone Niceno, princeps omnium patriarcharum, quia ipsi, inquit canon, data est potestas sicut Petro tanquam vicario Christi in omnes principes Christianos, & omnes populos eorum, & in uniuersam Ecclesiam Christianam, pertineat dico confirmare, quos episcopos per ciuitates, archiepiscopi, vel quos per provincias patriarchae constituerunt, & quae omnes faciunt in suis provincijs, & diocesis, considerare, & quae in illis desunt, corrigere, ut si tandem omnia ad unum referantur tanquam ad unum caput, & unum patrem patrum, & unitas Ecclesiae Catholicae seruetur, si exordium unitatis agnoscatur. An qui haec facit, videtur tibi Antoni sedere in cathedra vacuus a docendi munere, quod tu irridens vocas sedere in sublimi solio? cum iubet Apostolus in epistola ad Timotheum. ut sit episcopus doctor, non iubet ut omnino praedicet, & concionetur. Quid enim, si non possit docere concionando? an nullum aliud docendi genus relinquitur? & quia tu me scrutatorem vocabulorum vocas, ab episcopo requirit Apostolus, ut sit διδασκαλός, quod verbum significat, teneri studio, & cupiditate docendi. Quanto autem studio docendi cum alios, qui indigent, tum gentem Germanorum pontifex, qui hodie in cathedra Petri sedet, teneatur, testatur collegium Germanicum florentissimum ab eo institutum, & amplissime dotatum. in quo tam multi inuenes huc a Deo vocati, & plerique eorum nobilissimij

lissimi doctrinam catholicam à Martino Luthero Germanico hæ-
 resiarcha Germanis ereptam, diligenter, & accurate discūt, vt eā
 postea concionando, docendo, disputando, scribendo, conuersando re-
 stituant; & quæ ille primogenitus satanæ Lutherus ædificauit, de-
 struant. Hoc ipsum, quod dixi, testatur etiam Collegium adolescen-
 tium nationis Græcorum, vt cum probe eruditi fuerint, Græcos,
 quorum est hodie mira inscitia, & per solam ignorantiam ab Ec-
 clesia Romana dissident, doceant: quod vt facilius, & expeditius
 faciant, & quæ in Cōcilio Florentino Græcorum & Latinorum v-
 no consensu conclusa, & decreta fuerunt, non ignorent, vt hactenus
 ignorarunt, concilium ipsum Græcè cum orationibus, & disputatio-
 nibus Gennadij Scholarij Patriarchæ Cōstantinopolitani, illius tē-
 poris contra errores Græcorum, iam est Græcè æditum. Idem testa-
 tur collegium neophytorum, in quo neophyti litteras hebraicas, &
 latinas discunt, vt postea bene eruditi, Christum Iudæis ex lege, &
 ex prophetis demonstrent; vbi alij quoque linguam Arabicam di-
 scunt, vt apti sint ad docendum veritatē euangelij Turcas, & Sar-
 racenos. Postremo hoc studium docendi omnes, quo pontifex, vt
 dixi, incensus est, declarat collegium Angelicum, quod Duaci
 instituit eodem proposito, & consilio, quo Germanicum Romæ. Sed
 persequamur quæ in libello tuo sequuntur: Iam, inquis, attende
 mecum, quorsum euadat præclara illa tua successionis
 descriptio, non ignoras, successorē, quatenus suc-
 cessor est, non plus habere iuris, quam habuerit is, in cu-
 ius locum successit. hoc enim discere potuisti à iuris con-
 sultis, quibus citandis video te valde delectari. Atque si
 tibi credimus, Romanus Pontifex Petro, & Episcopi apo-
 stolis successerunt. Hoc si ita est, non potest igitur Rom.
 Pontifex plus habere iuris in Episcopos, quàm Petrus ha-
 buerit in Apostolos: nam eo te adigit ipsius connexi ne-
 cessitas. quare dicendum est, ex hoc tuo argumento in-
 creandis Episcopis auctoritatem Romani pontificis nō
 esse requirendam, Episcopos à Romano pontifice nō vo-
 candos, non instituendos, non confirmandos esse, quia
 Petrus neque vocauit, nec instituit, neque confirmauit

Apo-

Apostolos in munere apostolico. Ita est, ut dicis; Petrus neq; vocauit, nec instituit, neque confirmauit Apostolos in munere apostolico; sed Christus est, qui & petros, ut tu dicis, hæc tria fecit, qui eis primitias spiritus dedit, in quibus, ut paulo ante dixi, non succedunt neque pontifex Petro; nec Episcopi apostolis. Non enim habent parem, & aequalem illis apostolatam, illas primitias spiritus, quas Paulus dixit, habentem. Sed de ea potestate agitur, que dicitur, & est potestas clauium, quæ data est sanctis Apostolis à Christo per Petrum, à quo sacerdotalis ordo cœpit, sicut S. Anacletus in epist. 3. ait; de hac enim potestate dixit, ut antea non semel memini, Leo primus, non nisi per Petrum dedit, quicquid alijs non negauit. Cum enim hæc potestas ad pascendum, & gubernandum populum dei, & oues Christi omnes Petro commissas propriè & necessarie pertineat, nisi per vnum caput cæteris apostolis data esset, nõ potuisset gubernatio Ecclesiæ catholicæ similis esse gubernationi domesticæ, in qua vnus tantũ pater familias est caput. In hac summa potestate ligandi, & soluendi reliquit Petrus successorẽ, sicut dominus instituit; & cæteri Apostoli, sicut à domino acceperunt, sub eodem capite & patre patrum Petro in potestate clauium successores suos reliquerunt eos, quos in Ecclesijs eis assignatis Episcopos ordinarunt, dum viuerent, quos, ut antea dixi, Clemens recenset. Sicut ergo, ut tu secundum tuos iurisperitos dicis, successor non potest habere plus iuris, quam is, in cuius locum successit; sic neq; minus iuris secundum eosdum iurisperitos habere debet; at Petro datum est hoc singulariter, ut super eum edificata fuerit Ecclesia Christi, & eidem primo, & singulariter data potestas ligandi, & soluendi, ita ut per eũ ad alios Apostolos, transferretur vis huius potestatis, ergo in hoc iure singulari succedit successor eius, Episcopus Romanus; ita ut per eum potestas clauium regni cælorum ad alios episcopos successores Apostolorum transeat. Ad eum igitur spectat confirmatio ordinationis episcoporum, per quem à Christo eiusmodi potestas Clauium eis datur. Pergis deinde, Miror autem, cur pontificij tantoperè de Petri successore contendant; quasi verò si Petro successum fuerit, nec esse

Quod nisi potestas ligandi & soluendi per Petrum cæteris Apostolis data esset, tanquã per caput domus dei, quæ est Ecclesia, sicut Apost. ait, non potuisset gubernatio Ecclesiæ esse similis gubernationi domesticæ, quæ est optima omnium, ut etiã dicitur ratione naturali cognouit philosophus.

neceſſe ſit epiſcopum Romanum eſſe Petri ſucceſſorem, qua in parte ſemper tua Turriane, & commilitonum tuorum argumentatio claudicauit. Etenim ſi titulus fa- cit poſſeſſorem bonæ fidei, vt ad familiares tuos iuriſcō- ſultos redeam, exhibe tabulas iſtius ſucceſſionis. *In vram- que partem vacillas Antoni, & quia non eſſe Petri ſucceſſorem ſuſtinere non potes, & conſcientia conuictus exitum non reperi- ſti, reuoluis te in alteram partem, quaſi verò, inquis, ſi ſucceſſum fuerit Petro, neceſſe ſit epiſcopum Romanum eſſe Petri ſucceſſo- rem. Si credis nō eſſe ſucceſſum Petro, & tibi videris ſatis hoc probaſſe, tu enim haecenus negaſti, vltos eſſe in Eccleſia ſucceſſores Apoſtolorum, Quorſum ais nunc, quaſi vero, ſi ſucceſſum fuerit Petro, neceſſe ſit epiſcopū Romanum eſſe Petri ſucceſſorem? & quaſi concedas iam, velut in vramq; partem diſputans, Petro ſucceſſum eſſe, negas tamen ſequi eſſe epiſcopum Romanum ſucceſſorem Pe- tri, quia hic frenum mordet. Hic dicis ſemper argumentationem noſtram claudicare. Sed videamus quomodo probas claudicare, id eſt, non ſequi, vt ſi Petro ſucceſſum ſit, Epiſcopus Romanus ſit Petri ſucceſſor. Exhibe, inquis, tabulas iſtius ſucceſſionis, Petrus, inquis, Romæ docuit. cur ſingis nos ſic argumētari, Pe- trus Romæ docuit, epiſcopus igitur Romanus ſucceſſor Petri eſt? oſtende vbi in libris meis aut vllius Catholici hanc argumentatio- nem legeris; vt, ſi non oſtenderis, ſciat Academia tua commentum eſſe tuum impudentiſſimum. nec enim nos, quia Romæ Petrus do- cuit, argumentamur epiſcopum Romanum in Cathedra eius ſucceſ- ſiſſe; alioqui in Iudæa, in Ponto, in Galatia, in Cappadocia, in Aſia, in Bithynia, & Antiochiæ, & in alijs locis, vbi docuit, ha- beret ſucceſſores. Miror, te tam tardo, & obtuſo ingenio eſſe ad mentiendum, vt non caueas ſaltem, ne in promptu ſit cui uis etiam tardiſſimo, mendacium tuum redarguere. Deinde quaſi docuiſſe Petrum Romæ, ſumpſiſſem ad concludendum rationem de ſucceſ- ſione epiſcopi Romani, vt tu ſinxiſti. Adiuugis, Primum poſtu- lo, vt iſtud etiam probes, tabulis exhibitis. Profers ſcri- pta veterum, qui Petrum Romæ docuiſſe, & illic mar-*

Quomodo
Antonius
conſcientia
conuictus,
cū ſuſtinere
non poſſit,
nō eſſe ſuc-
ceſſorem
Petri epiſco-
pum Roma-
num, hoc
conceſſo a-
lio ſe ver-
tit.

Commentū
Antonij
impudens.

tyrio coronatum fuisse tradiderunt. Ego verò Turriane
 posco iuris diuini tabulas, quæ si te deficiunt, & ad huma-
 nas tabulas recurris, fatere igitur primatum Romanum
 esse humani, & positiui iuris, non autē diuini. prius quā de
 tabulis, quas requiris ad probandū docuisse Petrū Romæ, aliquid

Quare Epi-
 scopus Ro-
 manus sit
 successor
 Petri, ex ora-
 tionibus,
 quæ ad or-
 dinationem
 eius adhibe-
 tur, intelli-
 gi potest.

dicam, dicendū est prius tibi, esse episcopū Romanū successorē Pe-
 tri, non quia Petrus Romæ docuit, sed quia, ut in cathedra Petri
 & capite Ecclesiarū succedat, ordinatur, & cōsecratur, sicut est
 in quadam oratione ex ijs, quæ ad ordinationem, & consecratio-
 nem summi pontificis adhibentur. Gratia, inquit, spiritus sancti fa-
 mulum tuū perfunde, ut qui in capite Ecclesiarū nostræ seruitutis
 ministerio cōstituitur, tuæ virtutis soliditate roboretur. Et in alia
 oratione, Deus, inquit, qui Apostolum tuum Petrum inter ceteros
 Apostolos primatum habere voluisti, eiq; vniuersæ Christianita-
 tis molem super humeros imposuisti, respice, qua sumus, propitius
 hunc famulum tuum, quem de humili cathedra sublimatum in thro-
 num eiusdem principis Apostolorum sublimamus &c. Neque mi-
 nus erat Petri successor, qui ante annos ducentos, & amplius A-

Quibus ta-
 bulis diuini
 iuris, quas
 Antonius
 postulat,
 probemus,
 episcopum
 Romanam
 successorē
 Petri esse.

quinione pontifex ordinabatur, quamdiu illic sedes Apostolica fu-
 it, quam qui nunc Romæ ordinatur. Tabule autem diuini iuris,
 quas exigis, & quas tibi exhibemus ad hoc probandum, sunt, quod
 Christus dixit Petro singulariter, tu es Petrus, & super hanc pe-
 tram ædificabo Ecclesiam meam, & illud quod sequitur, & tibi da-
 bo clauis regni cælorum, &c. & illud postremo, pasce oues meas.
 Cum enim super hanc potestatem, quam Christus beato Petro fi-
 dem eius excellentissime confesso singulariter dedit, Ecclesiam
 suam, sicut promisit, ædificauerit, consequens necessario est, ut
 quia Petrus morte prohibitus fuit permanere, similiter super suc-
 cessores eius eandem Ecclesiam ædificauerit. An dicis tu, promi-

Quomodo
 qui succes-
 sorem Petri
 negat, de-
 menter, &
 impie de sa-
 pientia &
 prouidentia
 Dei se agit.

sisse ædificaturum se Ecclesiam super Petrum, quamdiu Petrus
 viueret; ut ipso mortuo, non sic esset ædificata? id est, ut tam-
 diu Ecclesia, quæ est domus Dei, vnum caput, vnumque pa-
 trem familias haberet, quamdiu Petrus in vita esset, & non am-
 plius? quis nisi amens, & impius sic de sapientia, & prouidentia
 diuina

diuina iudicabit? exhibe tabulas diuini iuris, quæ hoc testentur, aut apostolicam traditionem. hic verò, quia ratio connexi, cum concesseris superius, id est, Ecclesiam Christi fuisse ædificatam super Petrum, coget concedere inferius, id est, ædificatam esse super Petri successorem, continuo negabis ædificatam fuisse super Petrum. at hoc, ne eadem, cum non necesse est, repetamus, ex verbis ipsius contextus Euangelici necessarium esse antea demonstrauimus; & interpretationem contextus à te allatam, satis refellimus. Quia verò tabulæ diuini iuris, quas exhibui, obscure tibi videntur, exhibui suprâ alias tabulas diuini iuris tam faciles, & apertas, vt qui nullas literas didicerunt, legere & intelligere eas possint: eæ autem sunt tabulæ traditionis Apostolicæ. Vnde enim fieri potuit, vt Ecclesia per vniuersum orbem diffusa, quæ est regnum Christi regi David promissum, fide teneat, Episcopum Romanum successorem Petri esse, & Ecclesiæ caput? vnde profecta est hæc fides? si fides nititur in auctoritate diuina reuelationis, necesse est, vt hæc reuelatio, aut per spiritum Dei scripta, aut per eundem spiritum ab ijs, qui spiritu sancto afflanti in Ecclesia loquebantur, & sermone docebant, tradita sit. An putas Antoni, minus iuris diuini fuisse tabulas eorum, quæ Paulus per Epistolam ad Thessalonicenses scripsit, quàm eorum, quæ sine scripto per sermonem eisdem tradidit? non potes negare vnas & alteras tabulas ex æquo iuris diuini esse, cum de vrisque dicat, itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Vos igitur non statis, sed cecidistis, qui tabulas traditionum Apostolicarum, id est, νόμιμα ἀγραφα abiecastis omnia, quæ duce ratione naturali Plato, & alij Philosophi, qui de rep. scripserunt, ita necessaria esse iudicarunt, vt leges scriptæ sine his consistere, & conseruari non possint Sic etiam Magnus Basilius, & alij patres ista sine scripto tradita vocant νόμιμα ἀγραφα, eodem verbo vsi quo Plato. quid respondebis, si à te queram, quæ scriptura dicit tibi, nullas nisi scriptas pro tabulis diuini iuris habendas esse? si

Quomodo vniuersa Ecclesia fide teneat, episcopum Romanum successorem beati Petri esse; idq; fieri non potuisse, nisi hæc fides ex apostolica traditione profecta esset.

Nō esse minus iuris diuini tabulas Apostolicas scriptas, quàm sermone sine scripto traditas.

Queritur ab Antonio Sadeele, que scriptura dicat, nullas tabulas diuini iuris esse habendas nisi scriptas. *nullas tuas tabulas diuini iuris, quæ hoc dicant, exhibere potes, quomodo probabis quod dicis, si te tabulæ diuini iuris deficiunt? immo non solum deficiunt, sed nobis tabulæ scriptæ diuini iuris cõtra te suppetunt. Quia apostolus scripsit, vt modo dixi, ad Thess. state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Sed quia, sicut dixit, siue per epistolam nostram, similiter intelligendum est, vt ratio postulat, siue per sermonem nostrum, siquidem pseudoapostoli non solum epistolis apocryphis, sed sermonibus item apocryphis decipiebant, fortasse dices (hoc enim solum restat) non esse hoc, aut illud sermone à sanctis Apostolis traditum, sed potius sermonem esse vulgi apocryphum.*

Quomodo nos tabulas diuini iuris scriptas habemus, habendas esse pro tabulis scriptis apostolicis tabulas sine scripto Apostolicas. *quid? si testimonium omnium seculorum, & ætatum, omnium veterum scriptorum, omnium vbiq; Ecclesiarum, omnium gentium, & populorum Catholicorum, omnium maiorum, & patrum vestrorum, huic sermone astipulatur? dubitabis ab Apostolis ad nos manasse? & fidem diuinæ auctoritatis ei adhibendam esse? & quia tu etiam iuris consultos, quibus mecum delectaris, mihi citas, audi Callistratum ex rescripto Adriani, Aliàs numerus testium, aliàs dignitas & auctoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei de qua quæritur, fidem. Quod verò tu Antoni pertinaciter contra*

Quomodo nos traditiones sine scripto, apostolorum esse probemus. *tueris; quo numero testium veterum, & antiquæ fidei, qua dignitate, & auctoritate eorum, qua fama consentiente probas, & nota*

Quid antiqui hæretici vt magis ingenio quàm doctores Protestantium, respondere solerent cum eis traditio apostolici sermonis obijciatur. *stra refellis? at q; vt intelligas, quanta sit vis & auctoritas apostolicæ traditionis, id est sermonis Apostolorum non scripti, qui in omnibus mundi Ecclesijs prædicatur, & fide tenetur, cum obijciatur illa ipsa traditio hæreticis, contra quos Irenæus libro 3. disputat, & eam negare non possent, vt magis verecundi, & ingeniosi ad fallendum, quam vos magistri Lutherani Protestantium, respondebant more serpentis lubrici, vt ait Irenæus, vndiq; fugere conantes, alia secretò docuisse Apostolos. cum enim, inquit, ad eam traditionem, quæ ab Apostolis est, quæ per successionem Apostolorum in Ecclesijs custoditur, eos prouocamus, qui aduersantur traditioni, dicent se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores, inuenisse synceram veritatem. Et paulo post, consu-*

rans eos, etenim si recondita, inquit, mysteria sciuisent, quæ seorsum, & latenter à reliquis, perfectos docebant, illis vel maxime ea traderent, quibus Ecclesias ipsas committebant; valde enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos esse volebant, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes. En Antoni, cum illis hæreticis traditio apostolica, quæ in omnibus Ecclesijs prædicatur, opponebatur, non negabant apostolorum esse, neq; confugiebant ad tabulas scriptas diuini iuris, quia tabulas traditionis non scriptæ, æquè atq; tabulas scriptas recipiendas iudicabant, sed alia à traditionibus diuersa secretò illos docuisse fingeant. Hactenus de tabulis successionis, quas postulasti. postulas etiam tabulas, quæ fidem faciant docuisse Petrum Romæ; quasi inde penderet successio Pont. quam sane postulationem ne tuis quidem Protestantibus gratam & probabilem videri existimo. Vnus enim ex Schola Lutheri extitit Vtricus Velenus, primus, q; ego quidem sciam, qui toto vno volumine hoc contendit, nunquam Petrum Romæ docuisse, immo neq; Romæ fuisse. Quod sanctus vir, & eruditiss. auctor Rossensis ita vehementer, grauitè, & eruditè confutauit, vt nemo illi respondere, & Velenum defendere ausus fuerit. Pudit itaq; omnes magistros Lutberanos illius causæ, & argumenti ab illo suscepti. Te verò non puduit, qui de omnibus facibus, & de omni cæno hauris; qui omnium Lutheranorū scriptorum rapsodias quamlibet fœtidas, & lutulentas corrasisti, & compilaisti, & in tui libri euerriculum contulisti. Confiteris tradidisse veteres, Petrum Romæ docuisse, & illic martyrio coronatum fuisse, & audes contra rem tanta connexionis, & successionis serie firmatam impudentiam huius vocis emittere: his ipsis verbis vsus est Aug. libro 3 2. cap. 21. in Faustum Manichæum, qui nouum testamentum negabat scriptum esse ab apostolis, quæ libenter ab eo aduersus tuam impudentiam, & cæcam temeritatem mutatus sum. Profer tu miserrime vel vnum veterem ex omnium seculorum memoria, qui hoc, quod tu dicis, memoriæ prodiderit; non docuisse Romæ Petrum.

Quomodo olim hæretici non audebant negare traditiones non scriptas Apostolorum.

De tabulis, quas Antonius postulat, quæ fidem faciant, docuisse Petrum Romæ, quasi inde successio pontificis in eisdem locum pendeat.

Quòd ipsos etiā magistros Protestantium paulo cordatiores pudeat argumenti ab Vtrico Veleno suscepti, & quomodo eum fregit Rossensis.

Exclamatio Augustini aptissime in Antonium & ei similes quadrans.

Aa 3

CAP.